



## Universitätsbibliothek Paderborn

**DE EXCELLENTI || DIVINAE GRATIAE NATVRA,|| & iis que  
ad eam tum obtinendam tum conseruandam ||  
requiruntur, de#[que] ipsius admirabili efficacia ||  
DISPVTATIO,|| In inclyta et Catholica Academia ...**

**Valencia, Gregorio de  
Stevartius, Petrus**

**[Ingolstadt], 1576**

Capvt Secvndvm. Quo, varia gratiæ donatùm habitualia tum actualia  
distinguuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46873](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46873)

Ephes. 2. tur, cum inquit: Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis. Donum enim Dei est.

In 6. Synodo generali, actione 11.

XIII. Plures gratiae acceptiones, tanquam à proposito alienas confisio omittimus, ex quibus vna est, ut gratuita dicantur illa quae non absoluta necessitate, sed liberaliter à Deo fiunt; quo pacto naturalia dona gratuita etiam dici possent. Ita alicubi scriptum reperimus, Angelos & animas immortales esse, non natura sed gratia. Caterum hic presens gratiae nomen usurpamus.

## CAPVT SECVNDVM.

Quo, varia gratiae dona tum habitualia tum actualia distinguuntur.

XIII. Videamus modò, quoniam praedicta gratiae ratio generalis est, mis, quam latè ea pateat. Primum, quae supernaturalia dona homini conferuntur, non ut ipse Deo coniungatur, sed ut ad consequendam beatitudinè, diu cooperetur, missa nunc facimus: Numerata ea sunt à D. Paulo, qui etiam docet ad vtilitatem (aliorum scilicet, ut est in glossa) dari. Et quoniam videndum in homine peccatore, ea reperiri constat; neque homini ad beatitudinè ius suppeditant, quae summum est bonum; commune nomen retinent: ut scilicet quae imperfectiora sunt in aliquo genere, & gratiae gratis datae dicuntur.

1. Cor. 12.  
Ioan. 11. prophetavit Cai-  
phas. Et Matth.  
7. talibus dicitur,  
nunquam noui vos. Vide  
Aug. l. D. 18. de  
ciuit. cap. 23.

XV. Illa verò, quae homini conferuntur, ut ipsemet actionibus supernaturalibus propriam salutem operetur, faciliè intelligemus quam sint variè & varietate principiorum, quae ad naturales actiones eliciendas conspiciunt. Namque est supernaturalium prouidentiae suauitas; ea cum prouidentia naturalium, utpote quae à supernaturalibus perficiuntur, proportio & similitudo: ut idcirco etiam rectè videri possit D. Paulus appellasse hominem, vtiis gratiae ornamentis auctum, non iam creaturam.

Gal. 6.

XVI. Nimirum enim quoniam prima creatura, quae perfectionibus naturalibus continetur, ad veram beatitudinè consequendam non sufficit, quasi altera creatura supernaturalis effingitur, quae ad actiones supernaturales, perinde supernaturalibus donis sit instructa. Nisi fortè supernaturalium rerum ordinem, naturalium ordine imperfectiorem facimus. Ergo dona quae ad nouam creaturam pertinent, ex prima creatura, tanquam ex noua qualitate effigie, cognoscamus.

XVII. Eorum quidem, quae ad naturales hominis actiones concurrunt, veluti basis est ipsa hominis natura: Hac principium est primum non modò actionum, sed etiam potentiarum, quibus actiones proximè eliciuntur. Hinc ergo natura diuina quaedam qualitas aptè respondet, quae per supernaturalium actionum

lectionem à Deo homini impertita, similiter principium potissimum supernaturalium actionum, & nature instar est, in ordine supernaturali.

XVIII. Ita, qui à Deo dilecti, hac diuina qualitate ornantur, non immeritò in Scriptura regenerari dicuntur. Siquidè nouum Esse, nouamq; naturam recipiunt, qua efficiuntur diuinæ naturæ consortes; ut qui iam habent id, quo veluti principio primo, habiles & idonei redduntur, ut Deum ipsum clarè intueri, & perfectè diligere, ac in eo, veluti in extremo bono conuiuere possint, quod aliòquin solius Dei per naturam est proprium.

XIX. Iure idcirco D. Paulus hanc gratiam pignus hereditatis nostræ dixit, quo signati sumus: Iure appellauit eam D. Ioānes Dei semen, in iis, qui sunt ex Deo, manens, quod suo tempore actiones illas proferet, quibus ipse Deus perfectè contingatur. Hoc diuini Spiritus semen, quia in homine supernaturaliter dilecto manet, rectè Deus apud eum dicitur facere mansionem; quemadmodum idem Ioannes, exponens quod aliàs dixerat, declarat, quem, inquit, in hoc cognoscimus quoniam in Deo manemus, & ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis.

XX. Oriuntur præterea à natura potentia quadam, quibus in naturales operationes homo inclinatur, & veluti principiis proximis eas eliciat. Similiter à prædicta gratia in intellectum & voluntatem virtutes effluunt, præsertim Theologicæ. Ut quemadmodum hominis natura Diuinæ naturæ similis effecta est per gratiam prædictam; Sic etiam potentia illius, supernaturalibus ornata virtutibus, quarum Deus ipse peculiariter scopus sit, diuinam voluntatem & intellectum, eiusdem obiecti communionem imitentur. Ita nihil iam deest, quò minus homines tam variis, tamque diuinis habitibus instructi, Diuini, singulari quadam participatione, dicantur.

XXI. Quamuis autem, ut omnino certum non ponamus, sed tantum, ut probabilius, gratiam quandam habitualem esse, in hominis natura, distinctam à charitate, ex qua eadem charitas, & reliquæ virtutes oriuntur: Certum tamen esse debet, aliquod habituale donum, per supernaturalem Dei dilectionem homini conferri, in quod plurimi Scripturæ loci conueniant, qui intelligi planè non possunt, nisi de habituali dono, à fide & spe distincto, quo is, qui in gratiam recipitur ornatus sit, siue id re sit idem, quod charitas, siue quid distinctum.

XXII. Ut enim taceamus, quod supra satis est declaratum, peculiarem Dei dilectionem erga hominem necessario esse cum aliquo dono coniunctam: aliquid habituale ac permanente procul dubio est id, quod D. Paulus, ut nos cautos redderet, thesaurum in vasis fictilibus inclusum, dixit: Quo, cum Dei amici afficiuntur, <sup>a</sup> iusti, <sup>b</sup> sancti, <sup>c</sup> immaculati, <sup>d</sup> abluti, <sup>e</sup> mundi, <sup>f</sup> recti,

B <sup>g</sup> salui,

Ad Tit. 3.  
1. Pet. 1.

1. Cor. 1.  
Ephes. 1.  
Ioan. 3.

Ioan. 14.  
1. Ioan. 4.

Psal. 81.

2. Cor. 4.  
a Gal. 3. & Act.  
b Hebr. 13.  
c Pl. 116. & 2.  
d 1. Cor. 6.  
e Ioan. 15.  
f Pl. 7. Prou. 11

g 1. Tim. 1. &  
Tit. 3.  
h Marc. 2. &  
Ioan. 7.  
i Hebr. 12.  
l Col. 3.  
m Rom. 5.  
Sessio 6. c. 7.  
in cōcordia cō-  
trouersia de iu-  
stificatione.  
a Epist. 105. &  
126. & libr. de  
nat. 1. & Grā. c.  
26. & libr. 6. 3.  
Iuli. c. 11. & in  
Psal. 50.  
b Ita Kemnitius  
3. sess. 6. Concil.  
Trid. in contro-  
uersia de iusti-  
ficat. fol. 156.  
& 158. in ad-  
ditione vltima  
Francfordiensi.  
Et Melanchthō,  
in loco de iusti-  
ficatio. tractans  
de vocabulo  
gratiæ.

salui, h sani, i Deo placentes, l & dilecti, verè nominantur. Demique ali-  
quid est id, quod quàm datur, m charitas Dei diffunditur in corâibus nostris,  
per Spiritum sanctum, qui datur nobis.

XXIII. Id ipsum locis illis conuincitur, quos paulò antè ex scripturâ re-  
tulimus. Neque verò aliter intelligi posse videtur, quod Concilij Tridentini  
Patres statuerunt: Iustitiam siue charitatem inherere in iusto. Sancti etiam  
Doctores omnes idem sentire, Bucerus quoque fatetur. Differit de eo eleganter  
D. Augustinus multis in locis. Sed & nonnulli etiam inter Lutheranos non  
omnino stulti, tametsi veritatis hostes, ab illa tandè aliquando vitijs deser-  
te b facentur, hominem, quàm in gratiam recipitur, quibusdam donis super-  
naturalibus affici, quibus roboretur ad inchoatam illam istorum hereticorum  
obedientiam prestandam, de qua postea dicemus: Tantùm negant hominem  
qualitatibus iustificari, aut gratum Deo esse. In quo quam se imperiosos pre-  
bent, infra ostendemus.

XXIII. Ergo, ex donis gratuitis, quæ homini conferuntur, ut sibi  
felicitatem æternam comparet, quædam sunt habitualia, quorum vnum, seu  
à charitate distinguatur, siue non, omnium sit potissimum, de quo postea scrip-  
ptura, gratiam iustorum in primis commendantes, intelligantur. Præter hæc  
alia etiam esse gratuita dona, quæ actualia auxilia dicuntur, eadem naturæ  
ordinis consideratio docet, quam nobis antè à ad varietatem gratiarum impo-  
rendam, ducem proposuimus.

XXV. Vt enim ad naturales actiones, natura, etsi potentius instructa  
sufficit, nisi Deus ut autor rerum naturalium, cum ipsa concurrat, et  
quibus naturalibus incitamentis homo ad aliquid faciendū inducatur: ita  
ad supernaturales actiones, præter habitualia dona, incitamentis super-  
naturalibus homini ratione vtenti, opus est, et supernaturali Dei concursu (sicut  
tamen ratione ex parte Dei, pro diuersitate effectuum, à naturali Dei concursu  
distincto) maxime quòd, ut postea declaraturi sumus, habitualia dona non  
prius homini adulto conferuntur, quàm vtatur iis actualibus auxiliis. hoc  
hoc ipso quod habitualia sunt necessaria, etiam actualia requiruntur.

XXVI. Porro, hæc auxilia varia sunt. Cùm enim ad actiones libere  
ferantur, primo ad illa pertinet fidei prædicatio, cuius luce intellectus hominum  
illustratus facile inducatur ad impellendā voluntatem, vt fidei doctrinæ libere  
assensus præbeat, aliæq; supernaturales actiones elicantur de quibus postea dicemus.

XXVII. Spectant etiā ad incitandum intellectū, illustrationes aliæ, quo-  
bus, veluti diuinis quibusdam coruscationibus, ac fulguribus ita mentis no-  
stræ terra, cælestia clariùs videt, atq; ita commouetur. Item etiā, extraneis  
quidā effectus diuinæ providentiæ, quibus homo vel à peccatis deserretur, vel  
ad diuinā amicitiam allicitur, vt miracula, vt varij casus, vt benevolentia

Psal. 76.

opportunitates, ut alia per multa, quibus clementissimus Deus mentis osium pulsatur, atque hominem vocat, ut si quis consensu voluntatis respondens aperuerit ianuam, intret ad illum, per habituales mansurus gratiam.

Apocal. 3.

XXXVIII. Quia verò neque voluntas nostra respondere potest, nisi ab eo adiuta, cuius est, non solum vocare, sed etiam ad se trahere; Idcirco præter ea, quæ ad intellectum pertinent, diuina alia motione voluntas quoque indiget, quæ adiuta, vocationi respondet consentiendo, ut contra Pelagium est definitum.

Ioan: 6.

Cui quidam heretico, scitè admodum D. August. Quid est (inquit) ineptius, et ab ipsa charitate alienius, quam confiteri ex Deo esse scientiã, quæ sine charitate inflat, et ex nobis esse charitatem, quæ facit ut scientia inflare non possit?

In Conc. Arausico. & Mileu. c. 4. Li. de gratia & lib. arb. cap. 19. Vide etiam, lib. de prædestin. & gratia c. 4. 11. & 12. & lib. de bono prou. c. 13.

XXXIX. Est autem hæc diuina motio, actualis concursus supernaturalis, quo simul cum voluntate cooperante, actiones supernaturales Deus efficit, et eidem voluntati habitus infundit, quibus roborata cooperatur; atque uia Deus voluntatè ad actus mouet; perficiendo videlicet illam eiusmodi habitibus, per quos inclinatur in illos actus supernaturales, eosque elicit, concurrente simul ipso Deo. Ita, diuina hæc motio quæ ad incitamenta quibus homo vocatur, accedit, non prius tempore ponitur, quàm voluntas per eam adiuta, Deo vocanti respondeat. Hinc autem quomodo non sequatur, liberum non esse voluntati, respondere, declarabimus postea, quando agemus de requisitis ad gratiam potissimam obtinendam, et de eorum conditione.

### CAPVT TERTIVM,

Quo, discrimen duplicis auxiliij actualis explicatur.

XXX. Patet ex his, cum distingui solet duplex actuale auxilium; speciale vnum, quod ordinariè confertur, sufficiensque est ad consentiendum, sed tamen potest etiã a voluntate repudiari; specialissimum alterum, quod extraordinariè, et paucissimis confertur, cuius sponte quidam, certò tamen homo consentiat; non esse querendū id discrimen inter hæc auxilia, quatenus vtrūque efficax est, quando scilicet voluntate respondente, actualis Dei motio ad incitamenta accedit, quibus impellitur intellectus, et homo vocatur. Hæc enim actuali motione existente, certò et infallibiliter ex hypothesi homo consentit auxilio etiã speciali. Si quidem ea motio, cum Dei concursus sit, ad conuersionem supernaturalem, ut iam antè diximus, nisi homine respondente, non adhibetur.

XXXI. Positum igitur est prædictū discrimen, in diuersis motibus, quibus aliter mens pulsatur per auxilium specialissimum; atque per speciale; inter quæ adeò multū interest, ut illis certò et semper homo acquiescat; ac proinde auxiliū specialissimum semper sit efficax. His verò, non itè; quippe quibus multū, tametsi vocati, non respondent. Unde speciale auxilium inefficax esse potest. Neque enim sine causa dictum est, multi sunt vocati, pauci verò electi.

Matth. 20.